



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

6 Quot sint species & genera actionum vsq[ue] ad supremu[m] genus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

SECTIO V.

Quæ tandem sit actionis natura, quæque causæ aut proprietates.

I.
*Actionis
descriptio.*



X his quæ hæcenus tractata sunt de actione, explicata fere sunt omnia, quæ de illa dicenda proposuimus. Primum eam constare, quæ sit communis ratio vel essentia eius, quam Gilbertus Portetanus in suo libro de sex principiis sic definit, *Actio est forma per quam in materiam subiectam denominatur agere.* Quæ descriptio videtur cum proportionem sumpta ex illa, qua Aristoteles qualitatem definiuit, dicens, *qualitatem esse quæ quales esse dicuntur.* Sed videtur et quæ obscura illa definitio, ac definitum ipsum: id enim est, quod inquirimus, quid nimirum in rebus sit illa forma vel quasi forma, per quam agere denominamur. Et ideo in superioribus explicauimus esse modum quandam seu dependentiam ex natura rei distinctam à termino facto: atque hunc modum sub nomine formæ intelligendo, recte dicere possumus, actionem esse formam, qua principium actionum primo in actum reducitur, seu esse formam, quæ primo ac per se ipsam fluat, & per quam id, quod proprie fit, ab agente manat ac pendet. Quæ omnes particulæ ex hæcenus disputatis satis constant.

De causis actionis.

II.
Efficiens.

Finalis.

Materialis.

Formalis.

Verus hinc etiam notum est, quæ sint causæ, vel essentialia principia actionis. Nam causa efficiens eius est principium illud, à quo ipsa manat. Vbi insinuat se statim quæstio, quodnam sit illud principium, ut explicaremus illud axioma. *Actiones sunt suppositorum.* Sed hæc res etiam est supra declarata, cum de supposito ageremus. Causa vero finalis actionis intrinseca & immediata, est terminus eius: mediata autem vel vltima, esse potest aut ipsummet agens, aut quilibet eius finis ad quem ipse terminus eius referatur. Materialis autem causa interdum nulla est, respectu alicuius actionis, ut de actione creatiua dictum est: quando vero intercedit materialis causa illa est ipsum passum, quod licet immediate recipiat rem illam, quæ est actio, tamen secundum distinctionem rationis non recipit illam, nisi mediante passionem. Cum autem actio sit forma simplex, non habet aliam propriam formalem causam, necque alia principia essentialia, præter principium à quo fluat, & terminum ad quem tendit, quatenus ea essentialiter respicit, ut declaratum est. Et hæc sunt satis de causis actionis.

Proprietates actionis.

III.

*Actionum
semper mo-
tui coniun-
guntur.*

DE proprietatibus item actionis ut sic nihil fere dicendum occurrit, quia nullæ fere sunt, quæ per se ei conueniant, & in essentiali ratione eius non contineantur: Gilbertus autem supra tres aut quatuor insinuat. Prima, quia proprium (inquit) actionis est esse in motu, id est, semper coniungi motui: quod ut sit verum, late sumendum est, quamcumque mutationem etiam perfectiuam sub motu includendo. Potest autem dupliciter intelligi. Primo, quod semper mutationi adiuncta sit actio: & hoc sensu est semper vera, si intelligatur de mutatione positua, quia hæc fieri non potest, nisi ab aliquo mouente, & consequenter agente per illam actionem. Si vero intelligatur de mutatione corruptiua, non semper est necessarium fieri per positiuam actionem, ut si sit pura desitio: tunc autem proportionaliter interueniet carentia seu suspensio alicuius actionis. Alter sensus esse potest, ut etiam è conuerso actio semper habeat coniunctam mutationem, & ita coincidit cum secunda proprietate. Quam idem auctor ponit, nimirum, actionem inferre passionem in materiâ subiectam:

quod habet verum in actionibus, quæ circa subiectum aliquod versantur: creatio enim proprie non inferit passionem, ut superius visum est. Cum autem dicitur actio inferre passionem, illud inferre, non debet intelligi per propriam efficientiam vel causalitatem, nam, cum actio & passio non distinguantur in re, ut videbimus, non potest inter eas esse propria causalitas: necque etiam intelligendum est solum de illatione consequentia: nam hoc modo etiam passio inferat actionem. Intelligendum est ergo de illatione à priori, eo modo quo vna proprietas dicitur essentia alterius, ad quod sufficit virtualis distinctio, seu distinctio rationis cum fundamento in re.

Tertia proprietas est, quam Aristoteles etiam posuit in Prædicamentis, quod actio potest habere contrarium, quæ per se satis est clara: conuenit autem illi ratione termini: unde non semper ei conuenit, sed quando terminus eius habet contrarium. Denique, quoad hoc eadem est ratio de actione: quæ de motu: de cuius contrarietate Physici copiosius disputant. Vltimam proprietatem addunt tam Aristoteles quam Gilbertus, quod actio suscipit magis & minus, quæ duobus modis potest actioni tribui: vno modo ratione termini tantum, quo modo illuminatio ut octo, est maior & intensior actio, quam illuminatio ut quatuor, etiam si vtraque instanti fiat. Atque hoc sensu eadem est proportionalis ratio, quoad hanc proprietatem in actione, quæ in formali termino eius: de quo supra dictum est, cum de qualitatibus ageremus. Alio modo potest intelligi illa proprietas ratione temporis: quo modo dici potest intensior actio, quæ velocius fit, etiam si alia longiori tempore æqualem habeat effectum. Atque hoc modo hæc proprietas tantum potest conuenire actioni successiua & coincidit cum velocitate motus, de qua propria disputatio etiam est Philosophica. Verum est, velocitatem minus proprie dici intentionem actionis, nam potius est minor quædam extensio partium ipsiusmet actionis secundum durationem seu successionem.

SECTIO VI.

Quot sint genera & species actionum, & quomodo sub vno genere collocentur.



Et etiam quæstio magna ex parte in superioribus tractata est. Ut tamē cōflet, quomodo constitutum sit prædicamentum actionis, & quod sit summum genus eius, & consequenter quæ actiones sub illo directe collocentur, breuiter colligendæ sunt præcipuæ diuisiones actionis, quæ dispersæ sunt in superioribus traditæ.

Prima diuisio actionis in substantialem & accidentalem.

PRIMO igitur diuidi potest actio in substantialem & accidentalem. Substantialem appello, quæ ad substantiam terminatur, accidentalem, quæ ad accidens. De qua diuisione dubitari non potest, quin merito tradatur, & sit sufficiens: in rebus enim nihil fieri potest, nisi substantia aut accidens, ut constat ex supra dictis de diuisionibus entis: utrumque autem horum potest per se & per propriam actionem fieri, ut etiam constat ex dictis de causa efficiente, & per se fit satis notum. Recte ergo & sufficienter diuiditur actio in illa duo membra.

Occurrit tamen dubitatio, propter quam præcipue hanc sectionem proposui, utrum actio vniuoce An sit vniuoce in illa membra diuidatur, vel tantum analogice. Nam uoce, an ex dictis supra de causis videtur manifeste inferri, prius autem hæc diuisionem esse analogam: diximus enim causalitatem præferim efficientem, analogice dici de causa substantiarum & accidentium: ergo tam causalitas analogica.

analogice conuenit his causis, sed causalitas harum causarum non est nisi actio, ergo etiam actio analogice dicitur de actionibus harum causarum. Et confirmatur primo, quia generatio ex communi Philosophorum sententia dicitur analogice de ratione accidentali & substantiali: ergo. Paret consequentia, quia eadem est proportionalis ratio, siue loquimur de actione sub communi ratione actionis, siue sub particulari. Antecedens autem sumitur ex Arist. libr. 1. de generat. qui hac ratione, generationem substantiæ vocat simpliciter generationem: accidentium vero secundum quid vocat alterationem aut actionem, &c. Denique ratio, quæ eodem sumitur ca. 3. & ex D. Tho. ibidem, & de spiritualibus creat. artic. 1. ad 9. & ar. 3. & q. 21. de veritate ar. 5. de actione ut sic locum habet, nimirum, quia generatio est via ad esse: esse autem substantiæ est esse simpliciter, accidentis autem, secundum quid. Sic enim etiam actio est suo modo via ad esse ex parte agentis, nam est actiua communicatio ipsius esse: ergo si esse quod per eam communicatur, analogice est esse, etiam si ipsa analogice est actio. Tota enim ratio actionis ex termino præcipue sumitur, ut supra ostendimus: est autem formalis terminus actionis ipsa res producta, quatenus in suo esse producitur: ergo si in ipso esse terminorum est analogia, erit et in actionibus in ratione actionum.

In contrarium autem est, quia si diuisum huius diuisionis non est vniuocum, non poterit predicamentum actionis vnum genus summum assignari: aut certe dicendum erit, actionem, quæ est genus summum huius quinti predicamenti, esse solum eam quæ accidentalis est. At si hoc dicatur, sequitur ulterius, duo esse constituenda predicamenta actionis: cur enim si actiones accidentales suum predicamentum constituunt, non constituent aliud substantiales actiones? Nam in primis illæ inter se inueniuntur primo diuersæ: deinde in actionibus substantialibus dantur specificæ differentia cum conuenientis generis vsque ad aliquam summam. At denique tanta est distinctio inter actiones substantiales & suos terminos sicut inter accidentales & suos: ergo nulla est ratio, cur actio accidentalis vnum genus predicamenti constituat, & non actio substantialis.

In hac dubitatione probabile censeo diuisionem hanc esse analogam, nam rationes priori loco factæ quæ ex re ipsa sumptæ sunt, valde sunt efficaces, nec videntur habere conuenientem responsum. Quas vero posteriori loco fecimus solum desumuntur ab auctoritate ex recepta diuisione predicamentorum, quæ expediri possunt afferendo probabiles rationes, ob quas actiones accidentales in vnum predicamentum directe collocatæ sunt: substantiales vero ad predicamentum substantiæ reuocantur. Nam in primis creatio parum cognita fuit antiquis Philosophis, & ideo mirum non est, quod ei locum in predicamentis non dederint. Deinde superius de illa diximus non esse accidens, sed modum quædam substantialem: & ideo necesse non fuit illam in predicamentis accidentium collocare, sed ad predicamentum substantiæ reducenda est. Generatio autem substantialis à multis non reputatur actio proprie, sed terminus quidam alterationis præcedentis, qui ex ea resultat. Quam quidem sententiam ego veram non existimo, sed potius generationem esse veram ac propriam actionem, ut supra dixi tractando de efficiente causa, & est communior Philosophorum sententia quam Aristot. ex professo probat contra antiquos Philosophos in libris de generatione. Tamen, quia semper est coniuncta hæc actio cum alteratione, per modum vnius reputatur: & ideo non oportet ratione illius peculiare predicamentum constituere. Melior tamen ratio redditur, quod generatio substantialis cum sit via ad substantiam, non habet propriam rationem accidentis, sed intrinsece est modus substantialis: & ideo conuenienter ad predicamentum substantiæ reuocatur.

Tom. II. Metaphys.

Est ergo hæc sententia valde probabilis, cui vero illa non placuerit, dicere poterit actionem dupliciter spectari posse: primo ut est via ad terminum cui dat esse: & sub hac ratione procedere rationes factas, & concludere, esse analogum quid. Secundo præcise ut est actus agentis, suo modo produciens illud de potentia in actum & sub hac ratione esse quid vniuocum: quod etiam ad passionem potest proportionaliter applicari: Illud tamen semper manet difficile in hac responsione, quia actio ut actio non potest præscindi à ratione viæ, & causalitatis seu dationis alicuius esse. Item, quia non aliter est actus agentis, nisi quia ab eo fluit ad communicandum aliquod esse. Dicitur vero potest, nihil horum considerari in illa prout in predicamento collocatur, sed solum quod est veluti forma agentis, illud sic denominans & ut sic habere vniuocationem logicam, licet secundum completam rationem realem suam, habeat metaphysicam analogiam.

Secunda diuisio substantialis actionis.

Secundo subdiuidi potest actio substantialis in eā, quæ sine subiecto fit, & quæ fit ex subiecto: quæ diuisio iam satis constat ex dictis: prior enim est creatio, & posterior generatio. Quæ ulterius subdiuidi possunt in productionem & conseruationem: de qua diuisione late supra disputatum est & ostensum, non esse secundum rem, sed secundum rationem. Ac rursum possunt illa membra in varias species diuidi iuxta varietatem terminorum, ut superius etiā diximus. Potest autem etiam de hac diuisione dubitari, an sit vniuocæ vel analogæ. Videri enim potest analogæ duplici ratione. Prima, quia Deus in ratione primæ causæ efficientis est primaria causa respectu omnium aliarum, ita ut analogice de illis causa efficiens dicatur, & Deus sit primum analogatum, ergo cum creatio sit quasi prima actio Dei ut efficientis, à qua omnes aliæ essentialiter pendent aliquo modo videtur actio analogice dici de illa & de aliis actionibus & creationem esse primum analogatum. Secundo quia creatio est, quæ dat simpliciter esse: per generationem autem non datur simpliciter esse ut sic, sed tale esse, & (ut ita dicam) tantum ex parte, applicando scilicet formam materiam.

Sed licet hæ rationes sint probabiles, nihilominus non videtur hic intercedere sufficiens ratio analogiæ: nam per generationem vere ac proprie fit substantia, quæ est simpliciter ens, & vniuocè dicitur de omnibus creatis, ita licet ex modo semper creatio sit excellentior actio, sepe tamen res facta per generationem perfectior est, quam quæ fit per creationem. Item, quod omnis generatio supponat aliquam creationem saltem materiæ, non sufficit ad analogiam constituendam, quia illa præsuppositio est tantum materialis, sicut etiam forma supponit materiam, & non propterea est analogice substantia respectu illius. Accedit, quod omnis actio generandi necessario est actio ipsius Dei, quamuis non solius, & ideo propter peculiarem habitudinem, quam creatio habet ad Deum, non oportet ut ratio actionis per prius & cum analogia illi conueniat. Vnde licet ratio causæ efficientis, quoad vim agendi analogice dicatur, & per prius de Deo, tamen quoad actualement actionem non oportet, ut intercedat analogia, quia etiam Deus denominatur actu agens ab actione creata, & interdum ab eadē à qua creatura etiam agere dicitur, ut supra visum est.

Tertia diuisio in transeuntem, & immanentem actionem.

Tertio subdiuiditur actio accidentalis in immanentem & transeuntem: de qua diuisione satis multa diximus. Nec refert, quod illa differentia transeuntis actionis etiam substantialibus actionibus conuenire videatur, quia non possumus differentias magis

VI.

VII.

VIII.

IX.

gis proprias inuenire, sed sumenda sunt, prout accommodantur generi quod diuidunt: Nam etiam alie differentie possunt esse communes his membris, & secundum eas possent hae diuisiones aliter ordinari (quia & accidentalis actio est ex praesupposito subiecto: & potest etiam aliqua sine subiecto fieri, ut creatio vel conseruatio accidentis extra subiectum. Item in actionibus accidentalibus datur productio & conseruatio. Posset etiam actio primo diuidi in spiritualem & materialem, & deinde haec membra in alia. Nihilominus tamen ordo propositus videtur conuenientior, & propter maius discrimen inter actiones substantiales & accidentales, & praesertim si ex his tantum posterioribus vnum praedicamentum constituitur. Recte igitur diuisa est actio accidentalis in immanentem & transeuntem. Immanens proprie tantum illa dicitur, quae formaliter manet in eadem potentia proxima a qua elicitur, quaeque ex suo genere talis est, ut nunquam in alio subiecto fieri possit: & hoc modo tantum actiones cognoscendi & amandi sunt immanentes, in quibus plura dantur genera & species actionum, quas hic amplius tradere non est necesse, id enim spectat ad scientiam de anima & de angelis.

X.
Aliaque vi-
tales & co-
naturales
actiones la-
te vocan-
tur imma-
nentes.

Aliquando vero extenditur nomen actionis immanens ad omnem illam, quae in supposito operante manet: & hoc modo omnes motus vitales, & nutritionis, & augmentationis, & motus etiam localis animantium, poterunt immanentes appellari: motus naturalis terrae deorsum tendentis, aut aquae reducens se ad pristinam frigiditatem. Sed haec omnes improprie sunt actiones immanentes, quia licet sint in eodem supposito, non tamen secundum eandem partem, vel non secundum eandem potentiam aut vim agendi. Et motus illi naturales peculiariter excluduntur, quia aliquo modo tribuuntur extrinseco agenti, sicut generanti: & eadem ratione naturalis emanatio, verbi gratia, potentiarum ab anima, etiam si suo modo sit actio, ut supra visum est, & in eadem anima maneat, tamen quia extrinseco agenti proprie tribuitur non est proprie actio immanens. Ita fit, ut propria actio immanens solum in vitalibus actionibus inueniatur, quamuis non conueratur, quia non omnis actio vitalis immanens est in proprietate iam dicta.

XI.
An sit ali-
qua actio
formalis
immanens
& transeun-
s virtualiter

Actio transeuntes subdiuidi ab aliquibus solet in formaliter transeuntem, vel tantum quoad efficiendum imo qui putant actionem omnem esse in agente, existimant nullam actionem dictam esse transeuntem, nisi ob efficaciam. Ego vero censeo nullam actionem ut actionem esse transeuntem, quoad efficaciam tantum, quia actio ut actio non est efficax, nisi ratione sui termini intrinseci: vnde si talis est actio, quae in agente maneat, ideo est, quia in eo manet terminus eius: ergo ut est actio non potest esse transeuntes, quoad efficaciam. Quod si interdum per actum immanentem aliquid extra fit, non fit per illud in ratione actionis, sed ut principium agendi, ut supra dictum est de scientia & voluntate diuina, & idem est de voluntate creata quatenus est operatiua ad extra. Quocirca actio immanens tunc prout est actio, non per se, sed per suum intrinsecum terminum operatur ad extra. Ut si reductionem aquae ad pristinum frigus, actionem immanentem vocemus, licet ex ea proueniat, quod aqua facta frigida rem extrinsecam frige faciat, actio illa reductionis non dicitur proprie transeuntes, quoad efficaciam, quia illa sistit in suo termino: altera vero actio sequitur ex virtute termini prioris actionis, tanquam ex principio nouae actionis. Ad hunc ergo modum intelligendum est, quotiescunque actus immanens est principium alicuius effectus extra operantis: imo si interdum in ipso operante aliquem alium effectum relinquit eodem modo illum efficit. Omnis ergo actio transeuntes, si proprie & in ratione actionis transeuntes sit, ideo talis dicitur, quia est formaliter

transeuntes, id est, ab agente exiens, & in passum recepta. Quae rursus diuidi potest in plures species & modos actionum transeuntes, quarum tractatio & speculatio propria est physicorum: nam huiusmodi actio maxime concernit materiam sensibilem: a proinde eadem fere ratio est de actione & de motu quoad has species.

Aliae item diuisiones actionum inueniuntur in autoribus, quae quantum ad praesens spectant, actus sunt ex superioribus notae, ut quod distinguitur actio in vitalem & non vitalem, quam supra sect. 3. tetigimus. Item quod distingui posset in eam, quae est per propriam efficientiam, vel per naturalem resultantiam: de qua dictum est tractando de efficiente causa. Aliam denique tradidimus supra in actionem instantaneam & successiuam: sed qua plura dicemus disp. seq. Hae igitur de actione dixisse sufficiat.

DISPUTATIO XLIX.

De Passione.

Passionis nomen in vsu Philosophorum & Theologorum æquiuocum est, ut ex Aristot. lib. 5. Metaphys. cap. 21. & ex D. Thoma 1. 2. q. 22. art. 1. aliisque locis & ex Passione aliis auctoribus passim constat. Nam & motus affectus animi passionem appellari solent: & quaedam qualitates tertiae speciei, passionem appellatur, ut patet ex cap. de qualitate & 3. Physic. ca. 3. Praeterea maxime aliquis pati dicitur, quando aliquid praeter naturam suam patitur: aut quando aliquid amittit. Late vero passio dicitur omnis receptio alicuius formae, qualiscunque illa sit. Et hoc modo in presenti sumitur: si enim correspondet actioni, quamuis non omni, sed illi, quae fit ex praesupposito subiecto. Quoniam vero actio & passio sic sumptae magnam inter se connexionem habent, ut in multis conueniunt, ideo multa etiam ex iis, quae de actione dicta sunt, seruata proportionem applicari possunt ad passionem: & ideo breuius hanc disputationem expedimus. Explicando in primis conuenientiam & discrimen inter actionem & passionem, & deinde propriam naturam passionis, & species eius declarando.

SECTIO I.

Vtrum passio in re ipsa differat ab actione.

De actione & passione aliqui opinati sunt esse res realiter distinctas, quod necesse est sentiant illi, qui existimant actionem nil aliud esse, quam relationem agentis ad patiens: passionem vero, ut relationem patientis ad agens. Quod sentit Scorus in 4. dist. 13. q. 1. & quodlib. 11. quam sequitur Anton. Andr. 10. lib. de 6. princip. q. 9. Hae tamen sententiae reiectae est in superioribus in actione: & eadem vel maiori ratione reiecta est in passione, quia per passionem, ut sic non refertur patiens ad agens, sed solum passum ipsum afficitur passione in ordine ad terminum aliquem: est enim passio receptio alicuius formae. Et quamuis omnis passio sit ab aliquo agente, tamen solum est ab eo ut a causa extrinseca: vnde non solum non dicit formaliter rationem ad agens, verum etiam non includit in suo formali ac praeciso conceptu respectum transcendentem ad agens: alioquin in sua ratione includeret id quod est de ratione actionis: Si quae ergo est relatio patientis ad agens, illa resultat ex passione, & in ea fundatur: ideo enim ad id refertur, quia ab illo patitur: non possunt ergo actio & passio illo modo distingui. Omitto alia, quae de relationibus extrinsecis aduenientibus superius dicta sunt, quae etiam hic applicari possunt.

Alia